DE MEDICINAE IN EMENDATIONEM GENERIS HUMANI ETHICAM ATQUE POLITICAM AUCTORITATE.

PARS PRIOR INTRODUCTIONEM CONTINENS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOSOPHICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XXVII. MENS. FEBRUARII A. MDCCCXXXIII.


H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MICHAEL BENEDICTUS LESSING

GEDANENSIS.



OPPONENTIBUS:

ENRICO HIRSCHFELD, MED. ET CHIR. DD.

RIDERICO HASSE, MED. ET CHIR. CAND.

ENJ. PHIL. GINSBERG, PHIL. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Animus adeo a temperamento et organorum corporis dispositione pendet, ut si ratio aliqua possit inveniri, quae homines sapientiores et ingeniosiores reddat, quam hactenus fuerunt, credam, illam in medicina quaeri debere.

Cartesius.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO,
DOCTISSIMO

GEORGIO HIRSCH

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO APUD REGIMONTANOS MERITISSIMO, SOCIETATIS PHYSICO-MEDICAE, QUAE IBIDEM EST, ET SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE BEROLINENSIS SODALI,

GRATISSIMO ANIMO.

AUCTOR.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Quum nuperrime morbus quidam per omnes fere orbis antiqui terras saevissima clade grassatus effecerit, ut medici eorumque scientia in id auctoritatis restituerentur, cujus jam diu abhinc expertes fuerant, simul autem tot tantasque insidias et probra subirent, atque inconstantiae et levitatis accusarentur: non tam medicorum causa, quibus per se ipsos accuratamque munerum et officiorum functionem pertinacia diffidentis et increduli vulgi devincenda est, quam scientiae defendendae causa, quae ipsa sese de injuriis purgare non potest, quibus rationibus et cum medico et praecipue — quoad mores atque rempublicam — cum omni genere humano conjuncta sit medicina, in his disquisitionibus, tanquam in illius apologia, illustrare mihi proposui. Sors enim ea medicorum ex antiquissimis temporibus fuisse videtur, ut et in factis et in infectis semper prave ac perperam intelligerentur, multitudinis-

que invidiam pro praemio sibi compararent. Qua de causa jam suo tempore questus **Hippocrates**, haec ad Democritum scripsit: »in arte, inquit, medica, quae bene succedunt, plerumque quidem maxima hominum pars non admodum laudat, saepe vero Diis tribuit; si quis vero sua ipsius sorte perierit, Numen praetereuntes, in medicos culpam conjiciunt. Et ego certe plus reprehensionis, quam honoris ex arte mihi consecutus videor.« [1]) Nec melius **Goethius** noster Mephistophelem istum de medicorum ordine haec facit loquentem:

»Der Geist der Medizin ist leicht zu fassen;
Ihr durchstudirt die grofs' und kleine Welt,
Um es am Ende gehn zu lassen,
Wie's Gott gefällt.«

Cujus controversiae origo sive deducenda est ex natura hominum, qui quae non intelligunt, intelligere tamen atque judicare se posse credunt, ac falso potius et perverse interpretantur, quam inscios sese confitentur, sive diversissimae illae, quibus ars

---

1) Epistola ad Democritum, quae inserta Hippocr. Opp. Genev. 1662 auct. Anutio Foësio. Vol. II. Sect. 8. p. 1287.: „ἰητρικῆς τέχνης, ὦ Δημόκριτε, κατορθώματα μὲν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων οὐ παντάπασιν ἐπαινοῦσι, θεοῖς δὲ πολλάκις προσαρτῶσιν· ἢν δέ τι ἡ φύσις ἀντιπρήξασα ἀπωλέσῃ τὸν θεραπευόμενον, ἰητροὺς καταμέμφονται, παρέντες τὸ θεῖον. Καὶ ἔγωγε δοκέω πλείονα μεμψιμοιρίην, ἢ τιμὴν κεκληρῶσθαι τὴν τέχνην.“

medica avarorum, fraudulentorum atque jactantium circulatorum abusu exposita erat, vicissitudines et fortunae illius diffidentiae culpam sustinent: hoc quidem constat, medicos ipsos et inconsiderata popularitate, quae arcanorum illam captationem et mysteria magorum et astrologorum damnis longe superat, et temerariis artis obtrectationibus arma eadem in plebis manus tradidisse, quibus ipsi nunc percutiuntur. Innumerabiles a medicis in vulgi usum libri editi minus docuerunt et emendarunt homines, quam detorsere atque depravavere, ac propter abusum malamque interpretationem crudelius, quam multi morbi, effecerunt detrimentum. Quid tandem iis, qui non sunt medici, opinandum est, cum virum arti initiatum — Girtannerum dico, suo tempore medicum haud ignotum — haec de ipsius arte indigna verba facientem audiere? »Da die Heilkunde gar keine festen Principien hat, da nichts in derselben ausgemacht ist, da es nur wenig sichere, zuverlässige Erfahrungen in derselben giebt: so hat ein jeder Arzt das Recht, seiner eigenen Meinung zu folgen. Wo von keinem Wissen die Rede ist, wo alle nur meinen: da ist eine Meinung so viel werth als die andere. In der dicken Finsternifs der Unwissenheit, in der die Aerzte herumtappen, ist auch nicht der geringste Strahl des Lichts vorhanden, vermöge dessen sie sich orientiren könnten. Wenn zwei Aerzte am

Bette eines nicht gefährlichen Kranken zusammenkommen, so geht es ihnen oft, wie den Wahrsagern in Rom; sie haben Mühe, wenn sie sich ansehen, das Lachen zu verbeissen.» [1]) Qua de causa nil insigne et singulare videatur, si alii etiam pro literis, quarum vexilla sequuntur, in arenam descendentes, et quo fines earum intendant, et qualis tum ad alias scientias, tum ad humanum genus, obtinendus iis status sit, clare, ingenue atque religiose manifestare student. Et inde ortum est mihi hujus dissertationis scribendae consilium. In ea enim apologiam quandam et quasi doctrinae meae professionem contineri velim. Quispiam fortasse contemtim hunc laborem despiciat, atque dubitet, magni interesse hominum, sententiam atque professionem juvenilis ignotique tironis accipere, et opinetur potius, quae periti, probati celebresque viri aperiant et profiteantur, solum desideranda atque laudanda, surgere autem inter tales Coryphaeos tironis esse audacius et irritum conamen. At nullo modo hoc spectat auctor. Quamquam enim infitiari nemo potest, ejusmodi professiones, quales de variis medicinae locis plures nobis tradidit illustrissimus Hufeland, disciplinae nostrae pretii esse maximi, nihil tamen nisi tanquam commentarii sunt eorum, quae gessit, cogitavit, peregit, et hanc ob rem in

---

1) Girtanner: Darstellung des Brownschen Systems.

tabulario scientiae sunt deponendae, ut aut ejus progressus historice testentur, vel etiam discipulis futuris amussi sint atque adhortamento. Quibus vel omissis, vel perditis demonstrationibus, res tamen a viro gestae librique scripti satis efficacitatem ejus illustrarent, et veram potissimum professionem continerent. Sed alia conditio est tironis. Qui enim illius epilogus, hujus prologus est; ille nos in tempus praeteritum, hic in futurum remittit; alter rationem reddit rerum gestarum, alter promissa dat gerendarum. Debet adhuc et vult agere tiro, nec quisquam ei vitio vertere potest, quod in ineundo, et praesertim tam difficili gravique quam medici est, curriculo de officiis et finibus futuris has sibi proponat quaestiones: quid debeo? quid volo? Non ejus solum interest haec quaerere, sed totius generis humani, cui opem aliquando laturus est. Hae quaestiones accuratius consideratae, perpensae, intellectae, illustratae factisque confirmatae necesse est tironi diploma sint, quo tanquam futuri temporis portas sibi aperiat, syngraphus, quo in collegarum societatem inducatur, literae commendaticiae apud omnes, quorum salus aliquando ei curanda erit. Debet igitur haec professio vadimonium esse rerum gerendarum, stimulus hospiti in Apollinis sacris, solamen auxilio ejus aliquando carentibus, syngrapha cum postero tempore facta. Cuinam ejusmodi professio levis aut superflua videri

potest, cum specimen det, medicum tironem diligenter statum suum perpendisse, officia accurate considerasse, severe sibi fines proposuisse? Quare spero, fore ut equidem etiam non audacior nec arrogantior existimer, cum memet ipsis viri illius excellentissimi verbis, ubi ait: »Freiheit des Denkens, Freiheit der Wissenschaft, — das ist das höchste Palladium, und muſs es bleiben, wenn wir weiter kommen wollen,« [1]) ad suscipiendum hunc laborem excitatum, et singulari quodam respectu memorabilis illius Cartesiani, quod quasi symbolum huic libello praescripsi, ad haec probabilia quaedam in generis humani utilitatem peritorum virorum spectationi proponenda, commotum esse fateor.

Sanare aegrotos medici est, ad sanitatem ducere et corpus et animum, cum homo ei curandus sit, qui inter daemonem bestiamque medium tenet, biformis est ex spiritu et materia, — in quo compitum quasi a Nihilo ad Deum, ut Young ille dicit. Corpora sana sanosque animos reddere, in quibus tota est salus hominum posita, hoc medicinae munus, artis vere salutaris. Neque autem praesenti solum tempori officium ejus et studium dedicatum esse, sed in sempiternum manere debet.

---

1) Hufeland über Homoeopathie. Berlin 1831. Einleitung.

Idcirco futuris quoque rebus medico impendenda cura, atque in nascente jam et crescente homine, in infanti, beatioris veraeque saluti propioris posterorum sortis fundamentum est jaciendum. »Die Kindheit war mir von jeher ein so geliebter und zugleich so ehrwürdiger Gegenstand, dafs ich ihr als Mensch und Arzt die gröfste Aufmerksamkeit widmete. Ich sah in ihr das Reich der Unschuld, Wahrheit und Herzensreinheit, so wie sichs aufserdem in dieser Welt nicht findet, aber auch die Wiege der werdenden Menschheit, den höchstwichtigen Zeitpunkt, wo Gutes oder Böses, sowohl in der körperlichen als geistigen Natur des Menschen, für sein ganzes künftiges Leben gegründet wird.» [1])

Educare igitur medici est, corpus congruenter animo, animum corpori, et utrumque liberare ab impedimentis atque obstaculis, quae invicem sibi objiciunt. Spiritus et materia mutuis inter se vinculis a medico stabilienda et servanda sunt in ea aequalitate, quam conjunctione eorum natura spectat. Ob eamque rem celeberrimi omnes atque muneris dignitatem intelligentes medici iis, quae et cogitaverunt et egerunt, confirmare videntur, se in eo consentire, ut non in dynamicis modo et mecha-

---

1) Hufeland, Guter Rath an Mütter über die wichtigsten Punkte der phys. Erziehung der Kinder in den ersten Jahren. Berlin 1813. Vorerinnerung.

nicis remediis, sed psychicis etiam, aut potius in se ipso, in dictis et factis, vis et auctoritas ponatur a medico necesse sit. Ipse optimum semper remedium esse debet. Cujus rei exemplum Tu ipse, Vir Illustrissime! venerandum semper et imitandum mihi edidisti. Quid mirum? Quippe ipse Tu illo praeclarissimo viro magistro et duce usus es, quem collegae Nestorem et arbitrum verentur, omne genus humanum educatorem atque illustratorem existimat, equidem exemplar et imaginem optimi medici veneror, quum ipsius nostri Hufelandii scripta primo me officia medicique fines docuerint ac recta de arte mea imbuerint sententia.

Profecto sane, quod suscipio conamen, haud facile est, ex eaque causa vituperare me fortasse nonnulli velint, qui educationem emendationemque generis humani tam inexpertis viribus persequi ausus sim, qualem quantumque laborem non nisi expertus jam et gravissimus vir subire possit. Verumtamen ex desiderio saltem et voluntate melioris rei excusationis aliquid in me spero redundaturum. Neque enim gravitatis quaestionis ignarus, nec scribendi materiae inops, hoc mihi proposui argumentum; — e contrario — restant adhuc innumerabiles res in medicina et reliqua scientia naturali, (utramque enim porro ut inseparabilem complectar), detegendae et illustrandae; nunquam autem provinciam earum defecerunt investigationes ac perscrutationes,

quarum fines, quo spectent tendantque, nemo exquirit. Itaque materiarum turba et colluvie ingenium obruitur, nec ex opprimenti mole emergere potest. At litera exanimis nil prodest; animus modo cernitur, neque in iis, quae volvuntur solum animo, sed in animo ipso evoluto, in agendo cernuntur virtutes.

»Die Worte sind gut, sie sind aber nicht das Beste;
Das Beste wird nicht deutlich durch Worte;
Der Geist, aus dem wir handeln, ist das Beste.«

Instituenti mihi de artis medicae vi atque potentia, quantum ad universi generis humani mores atque instituta emendanda valeat, hoc opusculo disserere, ea sane a Lectore, quo melius totius quaestionis fontes atque decursum perspicere queat, venia ante omnia petenda mihi videtur, ut, quantopere nostra potissimum tempora ad omnem rerum humanarum tam privatarum quam publicarum progressum atque perfectionem hujusmodi emendatione egeant, exponam. Deinde vero, quatenus rei propositae auxilia ac remedia ex arte medica, physica nempe, ut videtur, ratione, peti possint, explicem. Visum est igitur, nostrorum hominum corporis atque animi naturam et conformationem societatisque statum et rationem — praeteritorum etiam temporum, quae omnium origines continent, respectu habito, — ita breviter adumbrare, ut non solum, quid fuerit et quid sit, intelligi possit, sed etiam quibus rationibus et causis; his demum peractis

eam viam munire licebit, eaque consilia pertractare, quibus ad communem salutem omnia perduci et ad summa rationis praecepta conformari queant.

Nam homo quidem, quum primum ex summi creatoris manu prodiisset, tanquam infans, nescius quid esset inter ipsum et universam, qua se contineri sentiebat, naturam discriminis, quum simplicissima vivendi agendique ratione cum ea conjungeretur et tanquam in unum abiret, natura usus nutrice, natura duce atque magistra, nihil agebat, nihil sentiebat, nihil cupiebat, nisi quod ex naturae lege esset. Sero artes didicit. Quid enim aliud ageret, quam ut urgente corporis necessitate sensuumve desiderio, speluncam deversorium haberet, arborum fructu famem propelleret, sitim fonte levaret, contra coeli injurias foliis vel cortice corpus tegeret? His contentus atque beatus, mox adeptus cognitionem atque intellectum, altiora desiderabat; quae natura docuisset, emendare, quae parasset, exornare, qua illa duxisset, acrius viam intendere gestiebat. Itaque ad necessitatem utilitas, ad utilitatem ornatus accessit. Multo plura etiam sociata vita mutavit, deflexit, addidit; summam generis humani in servitutem atque in dominationem distinxit, regna atque urbes condidit, fortunae negotiorumque diversitate varias hominum conditiones et ordines effecit. Sed quidquid ex hac parte lucri erat, corpori detractum fuit, ut quo magis mente atque animo florerent et

pollerent, eo magis corpore debilitarentur atque impedirentur; quae natura firma atque fortia esse voluisset, arte infirma atque exilia evaderent. Mox luxuria invasit et mollities; innumeram commoditatum atque voluptatum multitudinem attulit, dumque novas artes, novam operam, nova artificia parat, novas naturae deserendae occasiones, nova morborum semina injecit. Inde subtilior facta organisatio materiarumque extrinsecus affluentium contagioni magis magisque obnoxia, quidquid ex animali natura vitaeque genuina illa, rudi atque inculta conditione, virium atque roboris retinuerat, sensim perdidit. Neque tamen defuit providentiae aeternae clementia, quae naturae praeceptorum oblitis mentisque interno quodam impulsu atque impetu proreptis, legis divinae veraeque religionis luce viam illustraret. Sed misera superstitio, errores idololatriae, caerimoniarum moles fanaticique furores, dum nova caligine hanc salutis hominum tanquam facem obruunt, genus humanum non solum a justa illa et media, qua naturam matrem atque ducem recuperarent, semita prohibuerunt, sed adeo etiam obcoecaverunt, ut naturae vinculorum impatientes, ea intenderent atque molirentur, quae neque humano intellectu complecti neque humana facultate assequi possent. Itaque factum est, ut animus longe superior esset et nulla fere exceptione dominus, corpus tanquam servitute oppressum lan-

gneret atque conficeretur; ut, quae natura pari atque aequabili ratione et temperamento moderari voluisset, perniciosam iniquo certamine contentionem in commune utriusque partis detrimentum exercerent. Neque hoc negare ausim, nova quaedam physica momenta accedere, et quasi per universam rerum naturam diffundi, quibus commota et conformata omnis tam coelestis quam terrestris vis et ratio ad homines usque contingat eorumque indolem, mores, vivendique modum immutet. Ita terrae motus civitatumque conversiones, populorum migrationes, dein allata ex terris recenter inventis nova rerum quas ibi natura procreasset, copia, scientiarum denique atque artium mirifica incrementa et grave in hominum mores atque ingenia conformanda momentum, eam viam munivisse videbantur, qua ad divinitatis quandam similitudinem genus humanum eniteretur. Propter eas autem, quas diximus, causas ita evenit, ut — si dualismi quandam liceat speciem exprimere — duos parentes nacti, solum patrem colerent, matrem negligerent, veram atque sinceram humanae naturae rationem et conditionem funditus everterent. Hunc igitur ad modum nostra tempora comparata mente agitari, a naturae mediocritate abhorrere, nervorum actione et irritatione plus justo vigere, vivendi elementa subtilia magis et tenera, quam firma et solida habere, inde, propter nimiam quandam vitae concitationem et stimu-

los, totius systematis nervorum remissione et collapsu adeo debilitari, ut merito auctor egregius, in nervorum pestem tempora nostra incidisse, dixerit [1]). Itaque nervosarum affectionum morborumque frequentia et varietate, vel ultro occurrentium, vel ad alia quaeque morborum genera accedentium homines nostros vexari necesse est. Namque quod pristinis saeculis fuit et per medium usque, quod dicunt, aevum, hominum genus musculis et robore excellebat; totam aetatem musculo et irritabilitate contineri fere atque sustineri diceres. Hinc equestris fortitudo, bellici honores et arma juris discrimen. (Ritterthum und Faustrecht). At nostra aetas nervo et sensibilitate definitur; in spasmos, tabem, hypochondriam et hysteriam proclivis, quam sit sensus in mentem atque animum praepotens, saepius tum molliore quadam et languidiore, tum tensiore et acutiore animi affectione (Sentimentalität und Schwärmerei,) testatur. Quantum vero vel levissima quaeque et subtilissima agentia physica jam in homines nostros valeant, quae de magnetismo, quem dicunt, animali cognita habemus, insigne exemplum exstiterunt. Itaque inter primos illustrissimus Hufelandius noster verum vidit, qui ante hos viginti annos, cum de historia valetudinis generis humani dissereret, totam

---

1) Jean Paul: „Wir leben jetzt in einer Nervenpestzeit."

hanc aetatis faciem, nervorum nimiam tensionem, vitamque omnem novis et alienis incitamentis sollicitatam ita ostendit, ut, quae dixisset, sequentium temporum experientia unice confirmarentur. Et praeclare ille quidem: »Wie wenig Menschen leben jetzt eigentlich von und durch sich selbst, sondern erst durch etwas, was sie aufregt und spornt; ihr Leben ist immer ein künstlicher Zustand. — Dies gilt nicht blofs von den höhern Ständen, sondern auch vom gemeinen Manne 1).«

Atque ista nervorum violenta agitatione non corpora solum, sed etiam mentem atque animum laborare, facile intelligitur. Cum enim tenerrima quaeque organisationis et ad animae contactum proxime accedentia, vivendi provinciis maxime fungerentur: aliter fieri non potuit, quam ut materiae praesidio et firmamento sensim destitutus animus atque mente ad altiora provocatus, a corporis fundamento et ratione totum se averteret, et, robore exstincto, ingenii vim adeptus externarumque contagionum patiens magis quam obnitendo contra agens, omnem fere corporis actionem quasi novo sensuum cogitationumque aestu submergeret, ac

1) Hufeland Gesch. d. Gesundheit d. Menschengeschl. n. einer phys. Characteristik d. jetz. Zeitalters im Vergleich zu der Vorwelt. Skizze in Hs. Iourn. d. pract. Heilkunde Bd. 34. St. 1. 1812.

imaginatione potius et cupidine regeretur, quam ratione uteretur et judicio. Quanquam, si totius vitae justam atque sapientem coërcitricem et moderatricem rationem habuissent, ne corpori quidem defuissent, ex ipsa illa mentis praepotentia et quasi principatu, addita valetudinis ac salutis incrementa, et ad naturae salubritatem et regulam rectius compositus vivendi modus atque habitus. Sed propter nervorum nimis facilem et crebram commotionem atque sensibilitatem animi permotionibus adeo regi sese passi sunt, atque eo inconstantiae, mollitiae et enervatae subtilitatis prolapsi, ut non solum novi et innumeri animi passionum turbines in corporis detrimentum concierentur, sed et psychicas affectiones, quas quotidiana vitae consuetudo experiri solita esset, non sine valetudinis damno subirent. Quid? divina humanaque miscere et perturbare, novarum rerum spe et cupidine incitari, corporis et animi dissidio et contentione huc illuc jactari, novos assidue desiderare sentiendi et voluptatum stimulos, negligere praesentia, vetustate comprobata contemnere, singularia quaeque atque inaudita captare et sectari, — nonne saeculo nostro ferme innata sunt, et tanquam intus in ingeniis insita? Inde ambitione efferri et plurimum sibi quisque arrogare; se unum vera possidere et tanquam in beatae ecclesiae sinu esse sibi videri; hic ad superstitionem, illic ad impietatem refugium; rerum et

naturae cognitio aut systematum vinculis adstricta, aut syncretismo indigesta et horrida; ingenia ac mores sive ad effrenatam libidinem laxi et propensi, sive tristi et ascetica paene austeritate torpentes; undique periculum, ne a rationis atque intelligentiae luce et libertate in opinionum turbam et colluviem aetas nostra sive in mysteriorum tenebras demergatur. Quid mirum igitur, si ista morum et ingeniorum perversitas et inconstantia ad publicam usque rerum gerendarum et politicam rationem pertineat? Idem sane error, eadem molestia, eadem intemperantia et perturbatio. Alteri obedientiam plane abjicere; suae tantum voluntati parere; nulli legi obsequi; effrenata licentia ingredi; alienum jugum excutere et suis cupiditatibus obnoxii esse. Illic juris cum potentia, absolutismi [1]) cum constitutione, illiberalismi cum liberalismo dimicatio. Ubique turbae et vertigo, nusquam constantia ac firma quaedam ratio, undique vorago et ruinae imminentes. Ultraismo denique saeculum nostrum insignitur; cujuscunque extremi imaginem in eo expressam videmus; ad summa quaeque capessenda in summorum aleam itur; mediam viam nemo curat, nec quaerit nec ingreditur. Ingenium ac corpus inter

---

1) Spero fore, ut venia mihi detur verba passim usurpanti, latino quidem sermoni minus consentanea, sed ob recentiorem ipsarum notionum originem haud evitanda.

se dissident; nunc materia principatu potiri, et potentia omnia sibi subigere conatur; nunc animus penes se solum merito versari dominationem contendit et naturali juri omnia cedere jubet. Quae perversi judicii signa et in physica vitae ratione apparent. Quum enim ingenii cultura nonnisi corporis viribus extenuatis redimatur, et vis quidem animalis, nec natura tamen animalis exstinguatur, ambiguae quaedam finguntur formae, quae nec corporis nec animi naturam plane exhibentes, cuicunque calamitati obnoxiae sunt, exitiique seminibus auctis gravidatae brevi in praeceps deferuntur. Quibus vero ingenium summum videtur, praestantissimum ac religiosissime colendum, ii maxime singulare quoddam et sublime appetunt. Hoc studium et certamina inde profecta in scientiarum quoque nostri aevi systematibus occurrunt. Alii enim systemati cuidam sola experientia nixo, et experimentis quidem atque analogia confirmato, sed ab omni contemplatione prorsus abhorrenti summam auctoritatem parare omni ope annituntur; alii quaecunque rata sunt et valent subtilissimis spernunt hypothesibus et syllogismis et ad suarum opinionum normam adaptare cupiunt. Quid mirum, quod illi opus exstruunt e materiis undique collatis nec ingenii vigore nec rationis vinculo contentum ideoque firmitate prorsus destitutum. Hi autem, qui ab omni oculorum consuetudine mentem sevocan-

tes, contemplationibus modo atque theoria systema suum fulciunt, nunquam ad veritatem et effectum adducuntur, cum inania sibi somnia finxerint. Ut in universitate scientiarum, ita quoque inter singulas disciplinas vehementissimum obvium est certamen. In theologis enim rationalismum profitentibus iisque, qui pro supranaturalismo verba faciunt, vix ulla relinquitur concordiae spes; historici juris, cujus principia e medii aevi historia deducuntur, adsectatores cum juris naturae defensoribus confligunt; et in medicina homoeopathiae et antagonismo addicti diversissimas sequuntur medendi rationes. Quid? quod inter se ipsae disciplinae de principatu luctantur. Praecipue autem inter politicen, philosophiam et theologiam hoc exstat certamen. Huc praeclare illud dictum pertinet Illustrissimi ab Eschenmayer [1]). Ait enim: »die drei Weltkräfte, »die seit Jahrtausenden auf dem Schauplatze der »Welt ihre Rolle wechseln, sind Politik, Philoso»phie und Religion. Die Politik greift unmittelbar »in das niedere Volksleben ein, Religion in das hö»here, Philosophie aber ist das Vermittelnde von »beiden, indem sie einerseits für den Staat und die

1) Ueber die Unmöglichkeit moderner Freistaaten, in; die Wahl des Fhrrn. v. Wangenheim u. s. w. zum Abgeordneten in d. Würtenb. Ständeversammlg. 1832. pag. 314.

»Staaten die richtige Proportion sucht, in welcher »Freiheit und Gesetz neben einander bestehen, und »andererseits sich selbst als Dienerin der Religion »anerkennt, und ihre allgemeinen Wahrheiten dem »Evangelium unterordnet. In diesem Verhältnisse »der drei Weltkräfte ist die Politik der Leib der »Weltgeschichte, die Philosophie die Seele und die »Religion der Geist. Wie nun der Leib der Seele »und die Seele dem Geiste unterthan ist, so soll »auch die Politik der Philosophie, und die Philo- »sophie der Religion sich unterordnen. Allein in »der Wirklichkeit verhält es sich noch ganz anders. »Stellt sich die Politik oben hin, so entsteht Abso- »lutismus; die Philosophie, so macht sie ihre Ver- »nunft zum Abgott, und verliert über dem poten- »zirten Selbst den wahren Gott aus den Augen; »kehrt sich endlich die Kirche in die Politik, so »führt dies stets zum Fanatismus, wo die Wahrheit »der Macht aufgeopfert wird.«

Et haec quidem est primis et brevissimis linea- mentis expressa saeculi nostri imago, — cujus na- tura et causis diligentius exploratis, unum quod- dam fundamentum et principium subesse cognovi- mus, unde tota illa extremarum partium diversitas communi ac mutuo nexu ita cohaereat, ut neque corporum physicae affectiones sine ullo privatae et publicae rationis detrimento, neque ulla mentis ex qualibet causa perturbatio sine corporis damno

esse possit. His igitur peractis id operae reliquum erit, ut, quibus vitiis omnis vitae conformatio laboret, singulatim percenseamus. Itaque de perversa educatione praecipue dicendum videtur, quae omnium maxime cum aliud quodque corruptionis genus, tum corporis praesertim vitiosam constitutionem effecit. Dum enim a naturae simplicitate abhorret, dum artificia sectatur et ornamenta, dum ad coelestem paene praestantiam et pulchritudinem molles et teneros animos praeformare studet, viribus inertes et delicatos reddidit, tenues et infirmos quam fortes et validos esse maluit, omnia ad corporis perniciem comparavit. Quippe doctrinae quodam errore decepti et, quid homo ad universam rerum naturam pertineret, falso interpretati, quantum ei cum animalium natura commune esset, parum plerumque curaverunt, qui ad educandi artem sive scribendo, sive opera accederent, dummodo ad divinam quandam speciem humana ingenia effingerent. Egregie igitur auctor praestantissimus his fere verbis usus est [1]: »Erziehung ist nichts anderes, als »blofse Entwickelung der Naturkräfte und der na»türlichen Fähigkeiten. Die Geistlichen behaupten »zwar, der Mensch sei nur ein Zögling für die »andere Welt, und in dieser eine durchlaufende »Post, wie die Rechnungsführer sagen, ein Pilger

---

1) Hippel über die Ehe. 1792. pag. 130. ff.

»und Fremdling. — Doch soll er durch sein Ver»halten in dieser Welt der zukünftigen nicht un»werth werden; und es ist bei der Erziehung durch»aus auf dieses Leben zu sehen, und das Kind vor»zubereiten, nicht nur das Böse, sondern, was un»endlich schwerer ist, auch das Gute zu ertragen, »das heifst: es soll nicht über Gebühr empfinden, »und Alles mit Vernunft geniefsen lernen.«

Itaque ultra corporis facultatem tensis et enixis puerilibus ingeniis nervorum graves affectiones, deinde morbi, — et animi aegritudines concitantur, ut corpore simul et animo degenerante, mente aeque ac moribus depravati, neque cognoscendo neque agendo humanae conditionis lege atque officio fungi didicerint. Atque hac quidem ex parte publicae saluti nondum satis prospectum esse ab iis, penes quos summa rerum administrandarum et publicae valetudinis conservandae cura posita, sane dolendum; quum id saltem inter omnes constet, quorum de hac re sanum sit judicium, brevi fore, ut absque universae publicae, quae nunc temporis est, educationis severa emendatione omnis humani generis salus atque ratio stare nequeat. Quid enim artes prosunt, quibus depravata natura per praesentium temporum perniciem in futuram saeculi destructionem et ruinam abripiatur? Neque id ex divinae providentiae consilio fuit, cum hominem e corpore atque animo constare vellet, ut inter

utrumque ambiguus atque incertus, eorum dissidio et contentione impeditus haereret et fluctuaret, sed ut ex intima eorum et conjunctissima communione perfectus atque absolutus coalesceret. Itaque animalem vim et naturam mentis cognatione et societate extolli et tanquam nobilitari, non supprimi et exstingui oportuit, sed tamen ita regi et temperari, ut ne corpori nimium concederetur, sensuumque cupiditatibus et oblectamentis inserviens vita mentis adjumento et divinae rationis insita luce careret. Pari opera, aequo jure utramque humanae naturae partem instructam atque praeditam natura voluit [1]).

An, quod a tenero ungui scholis interesse pueri coguntur, et lectitando et scriptitando occupati inter umbratica et praematura studia degere, eo quidquam juvamur? Nunquam salubre, quod praematuro

---

1) Gott ist als die höchste Einheit die Quelle alles Seyns und Lebens, die Materie ist nichts als eine Offenbarung Gottes, ein Hervortreten derselben für die himmlische Anschauung. Dieser Gedanke einer Weltordnung, eines festen bestimmten Ganges der Natur wird so ganz eins mit unserem Wesen, dass wir ihn kaum davon zu trennen vermögen; er begründet die Sicherheit unseres Lebens, und giebt erst unserem Dasein einen Grund, unserem Wirken einen bestimmten Zeitpunkt; im festen Vertrauen geben wir uns der Natur hin u. s. w. cf. C. F. Burdach. Encyclopaedie der Heilwissenschaft. Leipzig 1810. Bd. 1. pag. 74.

partu editum; quemadmodum plantas, quarum intra parietes et hypocausta florem et maturitatem cultus et artificia festinarint, levissimo iniquae tempestatis spiritu exoletas atque exstinctas videmus. Immo male adhibitis in instituenda pueritia incitamentis et corpora debilitari necesse est, et cognoscendi atque judicandi fundamenta quasi radicitus convelli. Quam innumerae autem corporis molestiae et morbi fluxerint e sedentaria illa et arctius conclusa vitae consuetudine, (quae, quum levis atque minimi momenti videri posset, totius saeculi nostri physicae conformationis praecipua causa exstitit,) optime perspexit egregie subtilis auctor Hufeland: [1]) »Bekanntlich lebte die alte Welt mehr liegend, die »neue lebt mehr sitzend. Nun wissen wir aber, »dafs das anhaltende Sitzen immer den Unterleib »zusammendrückt, die Circulation des Blutes in »demselben, die Verdauung und Absonderung des»selben stört, und dadurch Anlage zu Hämorrhoi»den und Hypochondrie erzeugt, und ich bin fest »überzeugt, dafs die in neueren Zeiten so auffal»lende Häufigkeit dieser beiden Uebel viel darin zu »suchen ist, dafs die alte Welt mehr lag, die neue »mehr sitzt.»

Unus vero tyrannus nostris temporibus inexorabili mortales vincit lege, variam dico et mutabi-

---

1) l. c. pag. 25.

lem saeculi consuetudinem, (die Mode.) Cum corpus tum animus et quae ad utrumque servandum necessaria sunt, vitae morumque ratio sub illius imperium ac ditionem cadunt. Etenim supervacaneum nec operae pretium esse videtur, ut fusius explicetur, quanta in physicam hominis naturam victu, munditie, vestimento, luxu varie mutatis, expolitis, amplificatis, neglectis vis exseratur. Quorum nimiae curae vel incuriae, atque majori cum naturae norma consensioni vel dissensioni culpa est tribuenda, cur et in corporea nostrae aetatis constitutione aut nimium quoddam aut justo minus, — dissidium inter naturam artemque, et extremarum opinionum bellum, — tamquam horribilis nostrae sortis imago — aequalium oculis proponatur. Unde monstrum illud nascitur, aetatis nostrae indolem corrumpens ejusque mores pervertens, cultura quaedam manca nec ab ulla parte absoluta, atque fluctuatio illa, quae in ipsis quoque nunc temporis morbis occurrit. Frustra unius alteriusve systematis morbos quaeres, omnia stadia rite permigrantes, symptomatibus certis expressos, atque natura sedeque explorata insignes. Ubique in majorem minoremve stadiorum defectum, in symptomata, quo spectent, ambigua incides, nec unquam judicium firmum erui potest. Chronicae saepius apparent affectiones quam acutae, omnes vero nervorum sphaeram attingunt, et species, vel maxime materiali

quadam causa nixas, cum tenerrimo et materiae alienissimo, quod organismum animalem moderatur, vitae principio consociant. Quae potissimum res faces nobis accendit sciscitantibus quid sit, quod nostro saeculo homines saepius tenui valetudine uti, quam morbo plane definito laborare soleant. Aegrotos quidem nemo eos judicabit, nihilominus tamen aegre ferunt vitam miserrime protractam, proximum malorum finem vix sperare ausi. Lente corpus consumitur atque tabescit, et paullatim omnes organismi partes, ipsis illis diu insciis, in communem labem trahuntur. Ex his physicae indolis nostrae causis simul animorum studia et affectus, quibus insignitur aevum nostrum, facillime cognoscuntur. Juventus praecox ea, quae vetustate probata summam sibi auctoritatem paraverunt, vix investigata despernit, et insatiabili rerum novarum inexpertarumque ardore temere abripitur. Corrupti intempestiva ingeniorum cultura juvenes recenti semper et mutato indies excitari cupiunt stimulo, quum aliud quidquam cupidines eorum explere iisque satisfacere nequeat. Nimia illa systematis nervosi tensio similem quandam animi quasi tendinum gignit, et librorum libidines excitantium lectione, nimia ingenii in cogitando et fingendo luxuria, vagis legitimumque rationis imperium coercentibus ideis, opinionibus, optatis sedare sese et satiare studet. Nihil nisi divina, portentosa, vel

saltem immensa, singularia, nova atque inaudita hominis ita comparati mentem vehementissime alliciunt; praesentem rerum conditionem aspernatur, et praestantius creata perfectioremque quendam mundum somnians, quibus circumdatur omnia repudiat; remotissima quaeque aspirat; quae proxima sunt, amittit, et regiones subliniores petituro terra sub pedibus cedit. Quid mirum igitur, quod tam perversa vitae ratione talique ingenii facultatum abusu et corpora et animi deprimantur, languescant, debilitentur, frangantur denique ac conterantur? In aversa vero hujus imaginis parte statum illorum expressum videmus, quos Hypochondria occupat, assidue sedendo, discendo et meditando frequenter oriunda. Ex hac hypochondria, ex insomniis, obstipationibus viscerum dolorificis aliisque corporis molestiis talis judicii perversitas, tam infesta secum ipsis omnique orbe terrarum discordia et tanta morositas atque animi tristitia natae prorumpunt, ut miserrimi illi et iis, quorum consuetudine utuntur, molestiae, et sibi ipsis oneri fiant. Dum alteri extrema consectantes, omnia splendido quodam lumine illustrata opinantur, hypochondriaci illi umbratici ubique colores cernere sibi videntur horridos ac nigros. Haesitare semper atque diffidere, metuere ac trepidare; praesentem rerum conditionem repudiare, contemnere, ejusque taedio affici. Nunquam homines feliciter se habuisse questi, eorumque for-

tunam unquam in melius versum iri desperantes, vetusta servant, firma ac stabilia amplectuntur, quae moris atque usus lege sancta sint, haud violanda judicant. Ipsis quidem haereditas a majoribus accepta exigua videtur, minime sufficiens, interdum vel inutilis; at melioris desiderium procul, spes nulla. Alteri vertigine quadam correpti »ferire se vertice sidera» somniant, terramque opinantur coeli atrium; carcer alteris eadem videtur, soli invius, in quo vinculis haud impune discutiendis cogantur. Hinc origo certaminis illius flagrantissimi inter priorum saeculorum placita et nostrae aetatis ideas. Ex eodem fonte summa illa proficiscitur dissensio, cui ingenia simul ac mores immiscentur. Hac aliquando sublata, pax et concordia in animos atque facinora hominum remigrare poterit. Sensu vincitur ratio; pietas simulata cum libidinum vecordia luctatur, cum atheismo mysticismus, haeresiarchia cum orthodoxia. Prudens omnino et cauta desideratur circumspectio, quae reconditas rerum causas investiget et discrimina diligenter digerat. Multa simul et semel appetuntur; itaque non raro eorum quoque, quae multo labore acquisita tenentur, jactura fit. Haec autem corporis ingeniique depravatio ac degeneratio, gliscens paullatim et increscens vitaeque publicae nervos pedetentim dissolvens, perniciosissima sit civitati necesse est. Sic enim nec jura nec leges nec officia constitui atque ordinari

possunt, et inter magistratus et cives fiducia illa et pietas dilabitur atque evanescit. Nulla vitae conditione contenti, auctis optatis postulata quoque augere atque amplificare; arrogantiae et insolentiae impetu juris atque aequitatis repagula perfringere; nimis se ipsos admirari; aliena invocati curare negotia; impares viribus suscipere aliorum opera; sua ipsorum facultate nimium freti, non legibus obsequi sed perversitati ac suo commodo indulgere. Fremitus inde, torrentis instar, tumescere, novarum rerum studium ac spes radices agere in hominum animis atque propagari coeperunt. Omnibus ordinibus eadem esse jura atque officia postulant, naturae ipsius leges violaturi, quae, quamvis mortales eadem omnes sancta ducere jusserit, pro diversa tamen virium atque facultatum indole diversa studia sequi[1]), nec eorum libertatem ulla re, nisi aliorum hominum securitate, jure atque salute coerceri voluit. Ex his seminibus tristes tantum segetes provenire possunt. Leges et imperium anarchiae cedunt; licentia justitiam atque ratum ordinem opprimit; effrenata cupiditatum atque libidinum turba prorumpit; excitatur discordia; seditiones conflantur; factionum tumultus accenduntur, et unius ejusdemque reipublicae cives in diversas armati abeunt

1) „Ich habe nie gewollt, dafs allen Bäumen Eine Rinde wachse.“ Lessing.

partes; »corrumpere et corrumpi vocatur saeculum» [1]). Ne multa — avertamus oculos a turpissimo illo visu, quum historia aevi nostri cruentis illorum certaminum ac contentionum vestigiis ingrediatur. Ne probi quidem juris et moderatae libertatis propugnatores, medium qui campum replent, infestissima ista ochlocratiae et despotismi signa, quae quos Ultraliberales et Serviles vocant sequuntur, distinere valent; victoria vero eos ornatum iri, — ardentissimum votum, spes sera. Unde autem temporis nostri salus exspectari possit, nisi ex laboribus virorum ejus quod justum ac medium est tenacium, omnino nos latere libere profitemur. Quid vero his verbis »justum et medium, (die richtige Mitte,) nobis voluerimus, fusius hic explanare nostrum erit. Primum igitur illa viri Nobilissimi de Wangenheim hoc loco memorare liceat. Ait enim: [2]) »Ludwig Philipp, König der »Franzosen, sagte in einer Antwort auf irgend »eine feierliche Anrede unter Anderm: er werde sich »stets bemühen, die richtige Mitte, (le juste milieu,) einzuhalten.

»Nie hat man in irgend einem Volke alter und »neuer Zeit einen solchen Vorsatz, (denn zu allen

---

1) Tacit. German. c. 19.

2) Die Wahl des Freiherrn v. Wangenheim etc. l. c. Vorwort.

»Zeiten hat man, die goldene Mittelstraſse in allen »Dingen einzuhalten, für recht, schön und gut er»achtet), mehr missverstanden. Dem Parteigeiste, »der sich jener Worte bemächtigte, ist es indessen »gelungen, diese Ausdrücke des schlichten gesun»den Menschenverstandes in so schlimmen Ruf zu »bringen, daſs derjenige, von welchem ausgesagt »wird, er sei ein Mann der richtigen Mitte, als ein »Verurtheilter betrachtet zu werden pflegt, über »den man kein weiteres Zeugniſs brauche. Und »doch ist anzunehmen unmöglich, daſs, weil man »die Bezeichnung einer seit Jahrhunderten allge»mein als fruchtbar anerkannten Maxime eben heute »schlecht findet, deswegen die bezeichnete Maxime »selber schlecht seyn müsse.« Haec ratio, (Maxime), quamvis rectissima et a viro rerum civilium peritissimo promulgata sit, tamen nec ipsa, nec principium illud regendi, (politisches System), ea nixum, rei publicae conditioni tam facile adaptari potuit, ut omnis ei deesset vituperatio. Cui rei hoc maxime documento esse videtur, quod principium illud iisdem, qui primi antea summo id amplexi fuerant favore, nunc risui atque despectui factum sit. Nec unquam animus mihi erit, facere cum illius principii patronis. Verbis enim apud Francogallos usitatis »le juste milieu« res intelligitur minime quam laudemus et imitemur digna. Quo jure autem molestam illam, inertem et intolerabilem,

quae hodie vigeat, tueamur tenuitatem, cui verbum nostrum »Mittelmäſsigkeit» magis convenit, quam Romanorum illud »mediocritas,» — hoc mihi eo minus liquet, quo accuratius fontem istum, unde manaverit illa, cognitum habeam. Attamen quod suo nomine vocatur medium, minore, quam par est, cura quaeritur et sustinetur. Alii enim nihil cedere atque integram possessionem servare volunt; aliis contra nihil sanctum, nulla res tam ardua, quin tentare conentur atque aspirent. Neque igitur mirum, quod admodum pauci sui ipsorum adeo sint potentes, ut distincte cognoscant, illud potissimum medium summo opere appetendum esse. Jamque Aristoteles quamquam difficile esse profiteatur hoc medium ferire, tamen studere id assequi sapientis cujusque judicat officium. Ne quid nimis! — μηδὲν ἄγαν — unius fuit e septem illis Graeciae sapientibus sententia, quae quam vera sit nostri quoque majores illo comprobarunt proverbio: »zu »wenig und zu viel ist aller Narren Ziel.» Nonne idem sensus inest Venusini poëtae versibus, quibus auream canit mediocritatem? [1])

Quid? quod modum atque justitiam excedentes

---

1) — — — — — — — Neque altum
Semper urgendo, neque — — — — —
nimium premendo
Littus iniquum. Horat. Od. II., 10.

in summam ruimus perniciem, et nostri ipsorum impotentes, Dei iram in nos convertimus. Et sapienter Seneca: »quid enim est natura aliud, quam »Deus et divina ratio, toti mundo et partibus ejus »inserta; illa est prima omnium causa, a qua ceterae »omnes pendent.» Initio quidem corporis tantum vires conterimus; immodicum victus atque potus usum immodicae sequuntur libidines, et ad has explendas cupiditatum impetus in furorem rapit et insaniam. Rationis auctoritas perfringitur, nec sensus amplius ac voluntatis adducere potest habenas. Ita libero illo nobiscum ipsis concentu (Selbstständigkeit,) destituimur, quo salus nostra atque vita beata continentur. Rationis autem legibus ratis atque sanctis, in obsequii, integritatis et simplicitatis consuetudinem adduceremur. Nil nisi justa ac legitima appetentes, ad impetranda illa maxime idonei evaderemus cives atque dignissimi.

His universae, quam nostra praebet aetas, speciei delineationibus explicare studuimus, qualis fuerit rerum status, et qualis nunc sit; illa quoque quaestione, cur ita sit, haud plane omissa. Restat, ut ea proponamus adjumenta, quorum ope id salutis assequamur, quod desideramus, et justis postulatis conveniens arbitramur. Ad cardinem denique causae, quo totius quaestionis caput redit, progressis illustrare nobis licebit, qua communione medica disciplina cum illa cohaereat rerum huma-

narum conditione, et quantam vim exerceat in totius generis humani salutem recuperandam.

Constat homo animo et corpore, quae, quamquam diversissima, tamen ex legibus naturae sapientissimae inexplicabilibus alterno quodam vinculo atque complemento coëunt et concrescunt in eam unitatem, qua ipse homo continetur. Et praeclare Gaubius hac de re ita disserit: [1]) »Ipsa »Mens ac Corpus, res plurimorum judiciis natura »dissimillimae, quando in unum coëunt Hominem, »nexu tam arcto intimoque sociantur, ut in sese in»vicem penetrasse, et, si Chemicorum more hic lo»qui licet, se mutuo veluti solvisse diceres: ita, »dum vita viget, ubicunque Mens est, Corpus est; »Mens, ubi Corpus; nec ulla fere Hominis »particula indicari potest, in qua non una »et Mentis et Corporis aliquid, atque adeo »utrinsque mixtura animadvertatur.» Fortasse hac duorum alienorum quae videntur momentorum conjunctione Numen divinum tali modo augeri voluit vitae capacitatem, qualem apud animalia, quae in duobus variis elementis vitam degere solent, amphibia invenimus — quamquam longe alio et diverso gradu. Sed materiam animalem ex accedente cerebri tam perfecte evoluti organisatione,

---

1) Gaubii sermones de regimine mentis quod Medicorum est. pag. 2.

quod tanquam centrum vitale et conductor physici et psychici poli factum est, utilitatem atque incrementum cepisse, plane liquet. In quo illud constitutum videbatur, quod vires diversissimae organismi nostri in unum hypomochlium contrahi, itaque ad aequilibritatis punctum reduci possent. »In »allem Geschaffenen erblicken wir die richtige Mitte »in der gleichsam von selbst entstehenden Form, »unter welcher Geist und Materie, als die unendlich »Entgegengesetzten, in ihrer Durchdringung zur »Erscheinung kommen. Die durchgreifendste Form »erscheint als Leben da, wo sich in der Ein-Bil- »dung des Geistes in die Materie beide Elemente »das Gleichgewicht halten. Wo die Materie noch »den Geist überwiegt, da sehen wir nur ein Analo- »gon des Lebens in der streng nothwendigen, phy- »sischen Bewegung; wo aber umgekehrt der Geist »die Materie überwiegt, da nehmen wir in der »freien, nur durch ein Sollen geregelten geistigen »Bewegung ein potenzirtes Leben wahr.» [1]) Neque naturae probro est vertendum, quod quae spectasset, non facta sint. Libero nostro arbitrio atque potestati relictum erat, vibrationes illas et vacillationes momentorum somaticorum atque psychicorum ad normam

---

1) v. Wangenheim l. c. Vorwort.

regulamque naturae adaequare et sedare, quae si non effecerit, aut rationis vis coërcita et oppressa, aut naturae animalis degeneratio et effrenatio accusandae sunt.

Considerantibus autem, quo connexu et affinitate cum omnium rerum Primo Summoque homines comprehendantur atque cohaereant, quibusque rationibus singula vitae humanae momenta, quae principia nominari velimus, inter se invicem conjungantur et contineantur, haec nobis in mentem occurrunt.

Hominem idea quaedam primitiva nec unquam abjicienda, quod religionis principium appellamus, cum Numine divino propinquitate, supra omnia animantia eum extollente, conjungit. Haec idea illi naturae ejus parti insita et innata est, quae ex ipso Numine divino emanat, et altioris documentum originis, Divinitatis specimen praebet. Haec anima est, fundamentum et causa praeclarioris, ad quam nati sumus, conditionis, fons et radix omnium ad uberiorem vivendi agendique copiam virium atque virtutum. Sit ei principii metaphysici nomen, cui opponitur physicum principium, quod materia solum et animali organismi natura continetur, et somaticam provinciam regit. Hoc est ipsum corpus.

Principium physicum amplectitur tria inferiora momenta, quorum alterum, qui Musculus

est, irritabilitatis sphaeram efficit, (principium irritabile); alterum, quem Nervum vocamus, sensibilitatem moderatur (principium sensibile); tertium, Ganglion nempe, vegetationem administrat et principium reproductionis nominandum est. Quae principia tria naturae animalis per mutuam actionem et reactionem omni parte et ratione ita se complent atque penetrant, ut mirabile illud opus evadat, quem Organismum vocamus, et leges duplices, organicae et dynamicae, regunt.

Pari modo etiam animus tres quasi habet dimensiones, quare principium metaphysicum in principium cogitandi, (principium rationale), in principium sentiendi, (principium sensitivum), et in principium voluntatis dividitur. Quorum alternis mutationibus, conditionibus atque complexionibus ignotum quoddam illud oritur, quod, quoniam sese ad se ipsum advocat et refert, notione »τοῦ Ego» significatur, (das sich selbst bestimmende, sich auf sich selbst beziehende Ich,) et ipsam divinitatem hominis continet. Haec (notio τοῦ Ego) altera ex parte summam cogitandi, judicandi sciendique nomine principii scientifici sive intellectualis, (Mentis), ex altera sensuum et voluntatis summam principii ethici sive moralis (Animi), notione complectitur, quod utrumque incorporeae vitae nostrae partes format primarias. Ex harum cum organismo

conjunctione, et mutua actione atque reactione vera nostra οὐσία, quae vocatur, in tempore et spatio gignitur, quae est individuitas quaedam sui ipsius conscia, (selbstbewuſste Individuen), certa ad reliquas creaturas ratione pertinens. Huic essentiae (οὐσίᾳ) nostrae singulare quoddam principium praeest, quo ſit, ut sempiterna implicatione, concrescentia et permixtione legum organicarum, dynamicarum, intellectualium atque ethicarum quasi Mundani prodeamus, quem statum „τὸ ἀνϑρωπεῖσϑαι“ (principium anthropologicum) vocamus. Hoc principium vi indigentiae atque necessitatis, et amoris e principio metaphysico orti atque pietatis vinculis, tum, post turbam multitudinemque sociata vita conjunctam, in principium sociale, denique autem, jura et incolumitatem societatis ſirmandi causa legislatione et civitate exortis, in principium civile et politicum dividi, supra a nobis historicam generis humani evolutionem describentibus probatum est.

Ex his connexis continuisque rationibus affatim apparere nobis videtur, physicam et psychicam hominis naturam arctissime inter se conjunctas esse atque coaluisse, nec ullo modo earum principia separari vel distrahi posse, simul autem hanc earum conjunctionem mutuamque conditionem maximam in mores resque publicas exercere vim et auctoritatem. Quare somaticam generis humani conditio-

nem multum ad ejus intelligentiam ac virtutes, itaque ad educandum, emendandum atque felicitandum valere elucet atque eminet. De quibus vere et acute auctor locupletissimus ita disserit: [1]) »Unzertrenn-»lich ist das Band des Geistigen und Leiblichen »im Menschen. Es läfst sich darthun, dafs selbst »das Physische in ihm auf das Geistige, auf die »Vernunft, berechnet ist. — Das ganze Leben des »Einzelnen sowohl als der Menschheit im Ganzen »hat gar keinen Zweck, wenn er nicht auf das Gei-»stige, auf ein Unsichtbares bezogen wird. Die »ganze sichtbare Natur ist sich selbst Zweck bis »zum Menschen herauf; mit ihm schliefst sie sich, »und in ihm endet auch dieser Zweck. Der Mensch »würde gar nicht da sein, ohne eine höhere Welt. »— Und so auch die Menschheit. Der Grund ih-»res Daseins im Ganzen ist eine höhere geistige »Welt, und der Trieb und das Streben ihres Le-»bens nichts anders, als das immer höhere Aufblü-»hen in ihr. Sie ist ein Bau, der in der Erde »wurzelt und zum Himmel strebt, in unendlichen »Verzweigungen und Blüthen. Nie wird man die-»ses Leben und seine Geschichte begreifen, ohne »diesen höheren Zweck, der ihm erst seine Bedeu-»tung und Sinn giebt. Nie wird man seine physi-»sche Seite richtig beurtheilen und würdigen kön-

1) Hufeland l. c. S. 4. ff.

»nen, ohne die geistige mit in sie aufzunehmen, »die im Menschen einzig und allein alles hervor- »bringt.»

Verumtamen falluntur ii, qui in opinione versantur, corpus ab animo regi vel regi oportere. Contenderim potius, quamquam materialismi vituperationem a me remotam velim, a concretione et materia vinci in nobis semper ideam puram et abstractam, et a corporis ratione semper mentis agitationem pendere. Quae si non ita essent, homines, dum corporis compedibus relaxati ac liberati videntur, (ut interdum accidere solet), nonnisi animo constare et ad hoc tempus Deos fieri necesse foret. Quod quidem nunquam accidit, quum, acie mentis ab oculorum consuetudine sevocata, in subtilissimis obscurisque meditationibus versati, et necessitatibus vitae ac cupiditatibus et vi memoriae atque cogitationis in terram retrahamur, et in omni contemplatione, ni forte fanatici sive theurgi existimari aut Swedenborgii illius sortem ducere velimus, vinculis materiae et corporis impediamur. Neque enim quisquam vincula temporis et spatii fugere potest, quippe quibus volucer cogitationum motus ita cohibeatur, et animus, vitae retinaculis nondum abruptis, corporis carcere ita arceatur, ut, vel si nulla alia obstarent impedimenta, his solis luculenter pateat, nos ab iis etiam, quae sunt et fiunt in tempore et spatio, pendere. Quocirca nos

ad naturam rerum referendos ex eaque ortos esse, quanquam accedente animo cetera animantia superantes, plane intelligi potest. Qua ipsa de conditione pari jure atque veritate, quibus semper disserit, praeclarissimus noster Hufelandius [1]). »Die »Seele braucht in dieser sublunarischen Existenz »eine materielle Bedingung (eine Organisation), um »aufser sich und in sich thätig zu sein, um als ein »Wesen dieser Sphäre herauszutreten, aber auch »zugleich in ihrer Sphäre bestimmt und beschränkt »zu werden. Die Seele selbst aber wird hierbei »als ein ganz von der Körperwelt verschiedenes »Wesen angenommen, welches zwar durch ein uns »ewig unbegreifliches Zauberband in diesem Leben »mit der Körperwelt verbunden, aber nicht selbst »Körper ist. — Dadurch allein unterscheidet sich »der Materialist von dem Nichtmaterialisten, dafs »der erste den Körper als die einzige Ursache, der »letztere aber blofs als Bedingung der Seelenthä-»thätigkeit ansieht.«

Conjunctionem autem illam corporis et animi, qua omnes vitae conditiones et utriusque sanitas ac dispositio tenetur, vocamus hominem. Est vero medicinae, secundum naturae leges ita eum servare, ut aut damnis principatus cujusdam, quem alter-

---

1) Bemerkungen über Gall's Gehirnorganlehre in Hufelands Iournal. Bd. 21. St. 3. pag. 141.

utra forsan (sive physica sive psychica) occupare possit vitae provincia, defendatur, aut, utraque invicem se impugnante, in pacem atque aequalitatem restituatur, atque praeponderantem moderatus potentiam, dissipatas rursum in unum locum cogere queat partes. Neque enim, omnes medicinae disciplinas cum reliqua scientia naturali quodammodo ita connexas esse, ut separari non possint, hoc loco repetam necesse est. Medico autem humanae naturae indagatio proposita est. Et ipse homo, quoad rationem, qua ceteris cum rebus creatis et cum procreatore ipso conjunctus est, non solum cum omnibus externarum rerum viribus, cum elementis atque naturae corporibus altius humiliusve conformatis, (höheren und niederen Organisationen), sed etiam cum interne agentibus ac sublimioribus momentis, cum incorporea divinaque quadam vita et origine multis nodis vinculisque cohaeret atque coalescit. Necesse est igitur, medicum externam internamque hominis naturam, vires in eam agentes, leges organicas, dynamicas ac psychicas, quibus movetur regiturque, et ad qualitatem et ad quantitatem censere, atque singularum particularum et minimorum atomorum in corpore et animo actionem atque reactionem aestimare, adaequare atque ad salutem generis humani et singularem et universam adhibere posse. — Intelligentia ergo naturae omnisque creaturae virium; notitia animalium, plan-

tarum, terrae, atmosphaerae, totius mundi et momentorum, quibus reguntur illa atque modificantur; conspectus omnium, quae inter ea hominesque intercedunt, rationum et conditionum; sed etiam recondita et alta principii metaphysici cognitio; accurata commercii, quod cum physico principio habet, peritia; ingenium capacissimum, quo tota rerum et vacantium corpore et praeditarum universitas comprehendatur, — omnia haec medico omnino nec supervacanea et necessaria sunt, siquidem principium anthropologicum ab omni parte capessere, intelligere, servare, itaque officiis sincere satisfacere velit. Quamque igitur verum Celsianum illud: »quamquam igitur multa sint, ad ipsas artes pro»prie non pertinentia, tamen eas adjuvant, exci»tando artificis ingenium. Itaque ista quoque na»turae rerum contemplatio, quamvis non faciat me»dicum, aptiorem tamen medicinae reddit.« Veteres autem Romani, quippe linguam etymologice conformantes, hanc medici conditionem vere intellexisse et rectissimam de officiis medici sententiam in notione ipsius verbi »Medicus« (»mederi, remedium,«) manifestasse videntur, quum corpori animoque dissidentibus inter se et dissipatis reconciliandi quasi mediocritatem pacemque munus ei tribuant; haec enim lex et voluntas est ipsius medium semper tenentis naturae, quam in consequendis consiliis, quoad ejus pro humanarum rerum imbe-

cillitate fieri possit, adjuvare debet. Sed hac quoque omissa paronomasia tamen concedendum est, curam id conservandi, quod physicum inter et metaphysicum principium medium tenet, et naturae legum tuendarum ejusque jura vindicandi negotium, nisi medico, nemini esse demandatum. Unde colligi potest, ei non solum naturae contemplationem non nimis commendandam, sed philosophiae etiam, quae summam omnis scientiae naturalis amplectitur, inevitabile studium esse et necessarium. Rejicit enim natura omnem vecordiam et, ut ita dicam, uniformitatem, et quoniam omnes universi partes communitate quadam et universitate comprehendit, concordiam in se et unitatem restituit. Nec enim ullum in ea inter theoriam et praxin discrimen, nulla unius aliusve principii praerogativa, nulla systematomania, nulla praeponderans variarum virium potentia. Omnia ejus opera atque phaenomena lege quadam summa et primaria designantur, quae ad universitatis harmoniam intendit. Quid vero aliud medico faciendum est, nisi inter homines naturae tamquam personam sustinere? Nam in toto hominis organismo harmonia restituenda, principatus unius alteriusve organorum sphaerae prohibendus atque deprimendus, corpus animusque ad illud aequilibritatis momentum redigenda in eoque tuenda et conservanda sunt, quod natura sapientissima spectat. Ex his quum nec scientias

naturales inter se, nec medicinam ab iis separari posse appareat, luce clarius est, medico etiam, ut omnem scientiae copiam percipere, componere et in universitatem quandam aut potius unitatem conjungere queat, eo opus esse vinculo, quo haec conjunctio unice efficiatur: **Philosophiam** dico. Vere igitur et praeclare hac de re disserit vir ille, qui poëta et philosophus omnium praestantissimus, medicus ignotus et neglectus exstat. Quo magis laetor, quod ad meam ipsius opinionem affirmandam hoc loco sententiam ab eo tunc temporis juvene pronuntiatam tradere mihi licet, quam nec in libris ejus nec in vita notatam invenerim. Ait enim **Schillerus** noster [1]): »Ein Arzt, dessen Horizont »sich einzig und allein um die historische Kennt»nifs der Maschine dreht, der die gröberen Räder »des seelenvollsten Uhrwerks nur terminologisch »und örtlich weifs, kann vielleicht vor dem Kran»kenbett Wunder thun, und vom Pöbel vergöttert »werden: aber Ew. Herzogl. Durchlaucht haben die »hippocratische Kunst aus der engen Sphäre einer »mechanischen Brotwissenschaft in den höheren

---

1) Epistola dedicatoria ad Ducem Wurtembergicum in dissert. inaug. Versuch über den Zusammenhang der thierischen Natur des Menschen mit seiner geistigen, Stuttgard 30. Novbr. 1780. cf. Ztg. f. d. eleg. Welt. Novbr. 1832. No. 232.

»Rang einer philosophischen Lehre erhoben. Phi»losophie und Arzeneiwissenschaft stehen unter sich »in der vollkommensten Harmonie; diese leiht jener »von ihrem Reichthum und Lichte: jene theilt die»ser ihr Interesse, ihre Würde, ihre Reize mit.« Haec maximi quique et antiquitatis et recentioris aevi medici optime intellexerunt, inter quos jam celeberrimus Hippocrates sapientiam ad medicinam, et medicinam ad sapientiam traducere medicumque philosophum prae ceteris mortalibus Deo esse aequalem habendum judicavit: „μετάγειν τὴν σοφίην ἐς τὴν ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐς τὴν σοφίην· ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος, οὐ πολλὴ γὰρ διαφορὴ ἐπὶ τὰ ἕτερα, καὶ γὰρ ἔνι τὰ πρὸς σοφίην ἐν ἰητρικῇ πάντα [1]). Nec multum hinc abhorret Celsi sententia: »primo medendi »scientia sapientiae pars habebatur, ut et morbo»rum curatio et rerum naturae contemplatio sub »iisdem auctoribus nata sit.« Sapientiam vero apud veteres nihil nisi philosophiam significasse cum multi alii loci, qui in eorum scriptis inveniuntur, tum ipsissima Ciceronis verba perspicue declarant: »Sapientiam qui expetunt, Philosophi no»minantur, nec quidquam aliud est Philosophia, »si interpretari velis, quam studium sapientiae. Sa»pientia autem est, ut a veteribus philosophis de»finitum est, rerum divinarum et humanarum, cau-

---

1) Hippocr. lib. de decenti habitu medici.

»sarumque quibus hae res continentur, scientia; hu-»jus studium qui vituperat, haud sane intelligo, »quidnam sit, quod laudandum putet [1]).« Quae quam vera sint, ex eo maxime intellexeris, quod ne maximus quidem medicorum obtrectator, qualem J. J. Rousseau accepimus, vere esse sapientibus solis medicis licere, negarit. Qui enim ejus familiarissimus erat, St. Pierre, de ea re haec refert: »J. J. Rousseau me dit un jour: Si je faisais »une nouvelle édition de mes ouvrages, j'adoucirais »ce que j'y ai écrit sur les médécins. Il n'y a pas »d'état, qui demande autant d'études, que le leur. »Par tout pays ce sont les hommes les plus véri-»tablement savans [2])«. Quantopere igitur philosophia omnibns medicis petenda est atque tractanda! Quanam alia ratione ad eam naturae humanae cognitionem pervenire possunt, qua in obeundis muniis nihil fere habent antiquius? Itaque non possum, quin hic alius artis injiciam mentionem, quae, quanquam strictissime cum studio anthropologico cohaereat, tamen mirabili modo ex hac disciplina remota et ad metaphysicen, quae tantummodo in ipsius rationis natura atque suprema causa indaganda versatur, translata est, quamobrem immerito philosophiae, strictiore sensu sic dictae, adnumeratur.

---

1) Cicero de offic. II., 2.
2) St. Pierre. Etudes de la nature, Tom. IV. p. 279.

Psychologiam empiricam me dicere, quis est, qui ignoret? Jam Marcus Herz[1]) multique, qui post eum florebant, viri, copiose de hac re disseruerunt. Nihilominus tamen ars illa tantopere ab omnibus fere medicis ad hunc usque diem neglecta jacet, ut aut nullius plane in medicina momenti esse, aut in praxeos usu et experientia hanc scientiam adipiscendi sat superque copiae datum opinentur. Interdum quidem a medicinae studiosis lectio quaedam psychologica auditur vel systema aliquod cognoscitur, quae in posterum tempus omni fere cultu curaque carent. Praecepta autem psychologiae qua ratione in vita adhibeantur, et theoria, forma potissimum excellens, ad praxin, ubertate insignem, transferatur; et quomodo systemata psychologica vitae usui adaptentur; itaque, quam proprie psychologiam empiricam dicimus, ea nec scriptis nec lectionibus vitae tanquam tironibus, sive cubili aegrotorum assidentibus, sive in alia conditione versantibus neutiquam traditur, atque omnino ipsorum judicio committitur. Quae quum ita sint, facile evenit, ut medicus juvenis in immensum negotiorum mare ejectus et magna morborum varietate obrutus, frustra firmam appetat terram, cui in experimentorum naufragio spem suam alliget, quasi nauta sine gubernaculis aequora pervagans. Illum

---

1) In Libro: Ueber den Schwindel. Einleitung.

enim nonnisi corpus sanare edoctum, quae animi sit natura, quaeque in abdita ejus, ut ita dicam, officina agantur et efficiantur, prorsus latent. Nec tamen facile morbum quemquam invenies, (exceptis nonnullis, qui fortuitu aut causa quadam externa, iisque sub quibusdam tantum conditionibus, nascuntur), in quo vis aliqua animi non magni sit aut maximi momenti. Animi enim pathemata uti omnium, quae vita suppeditat, bonorum ac malorum fontes atque causae sunt, ita etiam cum bona et mala valetudine strictissime cohaerent, tamque animi quam corporis virtutes et vitia gignunt. Quî vero fieri potest, ut medicus aegrotum, qui psychicam morbi causam aut ignorat aut dissimulat, tractaturus justa remedia adhibeat, nisi suo ipsius judicio causam illam ejusque cum corporis calamitate connexum possit perscrutari? Quomodo Erasistratus Antiochum morbo gravi affectum sanare potuit, nisi ingenii acumine et singulari animi humani cognitione reconditam illam aegritudinis originem, occultum Stratonices amorem, expromsisset ac manifestasset?

Ad hanc animi scientiam alia etiam ars pertinet medicis potissimum petenda, quam Physiognomiam vocamus. Quae si saepissime falso intelligebatur aut irridebatur atque obtrectabatur, non tam scientiae crimini vertendum, quam iis, qui eam tractaverunt. Etenim posita est in certo firmoque

fundamento atque in recondita quadam rerum natura, et quantae sint ejus laudes ex clarissimorum philosophorum physicorumque observationibus ac judiciis satis superque constat. Aristoteles [1]) nulli homini, ait, inesse studium, cujus tanquam imaginem natura in corpore non expresserit. Sic Julium Caesarem Scaligerum mira fuisse accepimus facultate, hominum mores et studia ex vultu atque habitu cognoscendi [2]). Pari modo Matthaeus Tasurius quidam, Spoletanus, tantam in hac arte adeptus erat celebritatem, ut aliis admirationem, aliis timorem injiceret. Sic denique multi librorum sanctorum loci ad hujus artis laudem pertinere videntur, (ut Proverb. Salam. c. 8., v. 1.; Jesus Sir. c. 37, v. 21. cet.). Tantummodo igitur in nimio falsoque usu dedecoris illius, quo ne nunc quidem temporis liberata est, causa mihi quaerenda videtur, quo factum est, ut omnia commoda atque emolumenta, quae ex ejus cognitione pro salute, eruditione, emendatione et felicitate generis humani capi potuerunt, erepta nobis atque diremta sint. Legimus apud Ciceronem, a Zopyro, Physiognomone quodam Megareo, Socratem stupidum et bardum esse habitum, quod jugula

---

1) Lib. de Physiognomia Cap. 1.

2) Eloges des savans, tirés de l'histoire de Mr. de Thore. Part. 1.

concava non haberet, obstructis iis partibus et obturatis. In quo Alcibiades omnesque qui aderant, cachinnum dicuntur sustulisse. Ab ipso autem Socrate sublevatus est Zopyrus; quum illum e corpore suo, ex oculis, vultu, fronte, conjecturam fecisse, nec fuisse in errore versatum diceret; inesse enim sibi signa illa, quae ratione tantum, diligentia, severitate et studio a se dejecta essent atque correcta[1]). Pari modo Stilponem, Megareum philosophum, acutum sane hominem et probatum illis temporibus, accepimus; hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum fuisse et mulierosum, nec scribunt haec ad ejus vituperationem, sed potius ad laudem; vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse ratione atque doctrina, ut nemo unquam illum vinolentum, nemo in eo libidinis vestigium viderit[2]). Itaque in educatione haec scientia non utilis solum, sed plane necessaria est. In pueris enim omnes facultates, virtutes, vitia abdita jacent, quorum signa et vestigia in ore ac vultu, tanquam effigies in speculo, expressa videmus. Horum enim facies neque rugis senectutis contracta, nec libidinum maculis deformata, nec dissimulandi arte depravata, nec animi perturbationum

1) Ciceron. Tusculan. Quaest. lib. IV, c. 37. de fato c. 5.

2) Ciceron. lib. de fato. c. 5.

notis insignita est. Nonne igitur qui hac arte, quae nunc plane neglecta et inculta jacet, imbutus fuerit, jam ad infantis cunabula futurae vitae indicium vaticinari poterit? Nonne hac re multae calamitates, multa damna propellerentur, multa autem commoda ac bona juvarentur et in lucem proferrentur? Nonne enim fieri potest, ut pravitatis atque turpitudinis semina, solo idoneo insita, meliores supprimant fructus? Nonne saepissime accidit, ut ingenii virtutes ac praestantiae inscitia et negligentia educatorum funditus exstinguantur atque evertantur?

Quamobrem liceat mihi, in re tam gravi de arte quoque, quam Phrenologiam vocamus, huc pauca quaedam adjungere, quod eo magis mihi faciendum puto, quo altius nunc temporis obruta est oblivione. Haec enim scientia, quanquam ab omni ratione philosophica abhorrere videtur, magni tamen momenti est in doctrina psychologica exercenda atque adhibenda. Sed ubi celeberrimus Gall primum hominum animos ad hanc artem advertit, fato quodam accidit, ut omnes, qui justo majore hujus rei fiducia capti essent, eo perducerentur, ut artem illam aut nimiis laudibus efferrent aut omnino ea abuterentur. Ut igitur omnia, quae majora profitentur, aut nimia cum hominum admiratione in lucem prodeunt, vicissitudini et ancipiti obnoxia sunt fortunae, sic Gallii doctrina, celebritate amissa, oblivioni ac tenebris data est. Veruntamen haec phre-

nologia brevi, quo florebat, tempore haud exigua, quantum in usu valeat, documenta nobis edidit; in quo ne id quidem omittendum puto, quod viri subtilis ingenii acumine praediti, quales Gall, Spurzheim, alios fuisse accepimus, multa in ea arte elaboraverint. Quae quum ita sint, mihi liceat, quaeso, denuo artem illam doctorum hominum curis ac studiis commendare, quo fieri possit, ut ex oblivionis tenebris depromta, et de vitiis erroribusque purgata, iteratis studiis et disquisitionibus in usum restituatur, et in infantum educatione ita adhibeatur, ut omnibus iis vitiis careat, quibus tot tantasque incurrerit vituperationes. Nec illa quidem scientia materialismum, quem vocant, praedicat nec morum integritatem detrectat, et quantum in educandis pueris praestiterit, quantumque praebuerit utilitatis, optime testatus est locuples auctor Hufeland, cujus verba haec sunt [1]: »die Gallsche Lehre zeigt, daſs »die mechanische Unterdrückung der Aeuſserungen »einer bösen Anlage, (geschähe sie auch blos durch »äussere Strafen), indem sie die Ausbildung ihrer »Organe hindert, eben sowohl die Wurzel dieser »bösen Neigung zerstören, als die Uebung in gu»ten Gewohnheiten und Gedanken, (sei sie auch in »der Kindheit blos mechanisch bewirkt), indem sie »die dazu gehörigen Organe entwickelt, ausbildet,

1) Bemerkungen über Gall's Gehirnorganlehre in: Hufelands Journ. Bd. 21. St. 3. p. 146.

»verstärkt, auch wirklich die Anlage zum Guten in »uns vermehren kann. Es kann auf diese Weise »schon in der ersten Kindheit so wie physisch, auch »moralisch eine gute und fromme Natur im Men»schen gebildet werden, was gewiſs mehr sagen »will, als ein gutes Kunstwerk, was durch unsere »gewöhnliche demonstrative Erziehungsweise her»vorgebracht wird.«

»Im Allgemeinen ist diese Lehre, recht ver»standen, der wahren Moralität gewiſs eher vor»theilhaft als nachtheilig. Sie läſst ja den Geist, »wie schon oben gezeigt worden, frei, nimmt aber »seine Mitwirkung durch die Festsetzung bestimm»ter zum Bösen führender Anlagen um so mehr in »Anspruch, zeigt eben dadurch, wie nothwendig »moralische Bildung desselben sei, um jene Anla»gen beherrschen zu können, und erhöht dadurch »den Werth der Moralität im Ganzen so wie im »Einzelnen, in so fern sie die Schwierigkeit jenes »Kampfes bei starken oder schon sehr ausgebilde»ten Anlagen der Art anschaulicher macht. Und »was von vorzüglicher Wichtigkeit ist, sie zeigt: »einmal, daſs Erziehung allein im Stande sei, Mo»ralität als wahres inneres Eigenthum des Men»schen zu begründen; und zweitens, wie ganz un»entbehrlich bei fehlerhaften Organisationen der »Einfluſs höherer, übersinnlicher Motive, d. h. der »Religion sei, welche allein durch einen höheren

»Standpunkt jene organischen Antriebe zu über-
»winden und den Menschen, auch wider seinen
»Willen und wider seine Neigung, zum Guten zu
»bestimmen vermag.«

His igitur omnibus, quae a nobis supra disquisita sunt atque exposita, accurate diligenterque perpensis, facile ad intelligendum esse puto, nemini nisi medico eam cum ceterarum rerum, tum hominis naturae scientiam inesse et cognitionem, qua corporis animique facultates moderetur atque temperet, et communi hominum saluti consulat et opituletur. Haec vero haud ita a me dicta sunt, ut medicis paedagogorum et theologorum munera arrogem, sed ut medici esse contendam, illis viam ac rationem ostendere, qua indolis tanquam germina, quae ipsis excolenda ac fovenda sunt, pervestigent et in lucem producant. Etenim quum philosophia propter opinionum dissensionem et systematum aucupium; paedagogia propter cognitionis levitatem et perversum illud omnia ad unam normam conformandi studium; theologia propter placitorum ambiguitatem dogmatumque contentionem; omnes autem hujus generis disciplinae propter mancam et inchoatam rerum humanarum atque naturalium contemplationem et scientiam vel omnino non sufficiant, vel etiam perversam viam ingrediantur, aut perniciosa appetant: unius est medicinae, quippe rerum naturam et connexum perspicientis, arbitratu suo et

auctoritate intercedere, veram rationem ac viam designare, impedimenta removere, certamina ac lites componere. Ex his autem facile cernitur, artis illius, quae in tanto rerum usu versatur et exercitatione, haud exiguam esse in corporis animique conditionibus amplitudinem et auctoritatem. Neque vero alius quisquam nisi angustissimi ingenii homines medicinam, arctis modo finibus circumscriptam, ab omni morum et publicarum rerum ratione excludi ac segregari voluerunt. Sed aeterna illa lege, qua animus et corpus, itaque physica ratio et metaphysica, quippe principio anthropologico consociata, intimis vinculis et communione ita inter se conjunguntur, ut, quum secerni non possint, nec organicae atque dynamicae leges a principio rationali et ethico, nec omnia, quae memoravimus, momenta a civili ratione sejungi secludique queant, — hac, inquam, lege detrectatorum illorum dubitationes funditus tolluntur, et homines isti ad meliorem rei cognitionem advertuntur. Mores enim et respublica cogitari nequeunt, ubi vita ipsa deest; et haec vita, quid sit, et qualis sit, in arte medica continetur; quocirca haec ab illa sejungi atque removeri omnino non potest. Jam vero quis negare ausit, medicum, qui nunc assiduus naturae investigator, nunc incorruptus rerum gestarum testis, nunc spes et solatium aegrorum est, simul adhortatorem dubiis, ducem imperitis, legislatorem atque educatorem esse

debere? Profecto enim nullo modo a corporis emendatione animi morumque disciplina secludi nec vinculum, quo cum reipublicae conditione conjunguntur, dissolvi potest. Instituta illa, quae Philanthropina vocantur, quod, fines sibi propositos non assecuta, in suspicionem quandam et invidiam ceciderint, levitas et perversitas consiliorum, quibus auctores et moderatores eorum ducebantur atque pendebant, in causa fuisse videtur. Plerique enim, meri paedagogi, pueros, quos educandos susceperant, ejusmodi instituerunt disciplina, ut naturae legibus plane contraria ejusque viribus excolendis noxia esset. Nam alteri quum, parum anthropologici principii universitatem perspicientes, animi solum eruditionem spectarent, morumque et intelligentiae profectum assequi studerent, neglecti physici principii auctoritatem oppresserunt, neque simplicem hominis naturam, sed biformem, et inter corpus et animum dissidentem provocavere. Alteris autem, qui systema quoddam in sphaera sola somatica versatum consectabantur, haud parum mirabile visum fuerit, quod methodo sua, nempe rectissima atque praestantissima, pecora fere et brutos, quibus nihil cum moribus ingenioque esset, formatos cognoscerent. Ubi fortasse horum virorum aliquis totam officiorum summam complexus, quid sibi perpetrandum sit, vere intellexit, et corporis animique emendationem spectavit, non raro factum est, ut

propter mancam scientiam atque physicae et psychicae naturae intelligentiam deficeret eum, quanquam volentem, et consiliorum ab utraque parte plane moderandorum et propositi finis assequendi facultas. Itaque quamvis quispiam me accusaverit, quod arti medicae ampliorem provinciam tribuerim, contendere tamen ausim, solum medicum verum esse educatorem, eumque potissimum paedagogorum, theologorum et philosophorum mancae atque inchoatae cognitioni doctrinae adjumentum afferre ingeniumque suum suppeditare debere. Ubi a plerisque nihil amplius quaeritur, medicus tamen multa invenit; quae alii contemtim negligunt, restant ei accuratius investiganda; quae aliis levia aut molesta videntur, illi gravia atque desideranda sunt. Huc pertinet illud, quod Zimmermann ait: [1]) »In »sehr vielen von mir durchstudirten Leben der my»stischen Heiligen habe ich wahrgenommen, dafs sie »alle im höchsten Grade hypochondrisch, hysterisch, »zuweilen starrsüchtig, und oft wahnwitzig wurden. »Ein blofser Philosoph macht solche Beobachtungen »nicht, weil er solche Schriften nicht liest. Aber »ich sah, dafs ich auch als Arzt vieles hierbei ler»nen konnte, und darum las ich sie mit Vergnügen, »indefs da einige Philosophen mich wegen dieser »und anderer Ursachen für einen Schwärmer hielten,

---

1) Zimmermann v. d. Erfahrung. II. pag. 524.

»und einige Scheinheilige und Narren wegen meines »Hasses aller Schwärmerei für einen Freigeist.» Vix opus erit, ut de necessitate educationis ipsius hoc loco aliquid addam. Omnibus enim temporibus desiderata et praestantissima laudata est, et sapienter Plutarchus ait: [1]) „τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας, πηγὴ »καὶ ῥίζα καλοκἀγαθείας." Quamobrem venia mihi data sit, ut sententias aliquot ex Hippelii libro de matrimonio huc pertinentes huic loco inseram. Dicit enim [2]): »Der Mensch wird später reif als Alles, »was auf Erden lebt; seiner Kräfte, seiner Fähig»keiten sind aber auch so viele, und überdies sind »sie so köstlich, dafs die Erziehung nicht mit der »Muttermilch aufhören kann, sondern dafs durchaus »eine vernünftige Milch, wie der Apostel sich aus»drückt, zur Erziehung erfordert wird.— Die Erhal»tung, sagen die Theologen, sei die zweite Schö»pfung, und nichts ist wahrer, als jener (mutatis »mutandis) veränderte königliche Gedanke, dafs »man seinem Erzieher mehr, als seinem Erzeuger »zu danken habe. Ein Kind ist, wenn es auf die »Welt kommt, Nichts; allein es kann Alles werden. »Und du, heiliger Körper des Staats! brauchst du »einen Redner, einen Helden, einen Scharfrichter, »einen Nachtwächter, einen Postillon; und du, hei-

---

1) Lib. de puerorum educatione. c. 7. §. 6.

2) Hippel über die Ehe. pag. 123.

»lige Seele der Welt! willst du einen Weltbürger, »— nichts wird euch geboren, alles erzogen. Ein »Edelmann wird geboren, sagt man; allein man »sagt noch mehr Unrichtigkeiten, als diese. Lege »des Kochs kleinen Jacob in die hochgräfliche »Wiege, und nimm den kleinen Grafen Alexander, »und lege ihn in Jacob's Bettlein: wer kann sie »erkennen? — Die Vorschriften der Religion und »der Philosophie richten nichts bei uns aus, wenn »der Acker, auf den dieser gute Saame fallen soll, »nicht vorbereitet ist; und diese Kultur heifst Er»ziehung.» —

Quodsi igitur omnem humani generis conditionem in educatione tantum positam esse, educationis autem munus nonnisi a medicis expleri posse probavimus: plurimum artem medicam ad generis humani emendationem et perfectionem valere, quis est, qui neget? Nec aliud mihi significare videntur memorabilia illa celeberrimi Cartesii verba, quae, quum fundamentum et quasi nervum dissertationis meae contineant, symbolum huic opusculo praefixi. Sunt vero haec: [1]) »Animus adeo a temperamento »et organorum corporis dispositione pendet, ut, si »ratio aliqua possit inveniri, quae homines sapien-

---

1) Cartesius Dissert. de methodo recte utendi ratione et veritatem in scientiis investigandi; in: Cartesii opp. Amstelodami edit. a Ludov. Elzevirio. 1650. II. pag. 53.

»tiores et ingeniosiores reddat, quam hactenus fue-»runt, credam, illam in medicina quaeri debere.« Haec autem qui ita interpretetur, ut Cartesium nihil aliud nisi corporis sanitatem hominumque robur ac sollertiam spectasse contendat, eum toto coelo a vero aberrare luce clarius videtur. Quid enim, talia si voluisset Cartesius, de sui temporis medicis eorumque in hanc rem vi et auctoritate desperasset? — hunc in modum locutus: [1]) »Verum »quidem est, eam, quae nunc est in usu, pauca, »quorum adeo insignis sit utilitas, continere. Sed »quamvis ipsam contemnere nullo modo sit animus, »confido tamen, nullum fere, etiam inter eos, qui »illam profitentur, qui non confiteatur, omnia, quae »hactenus in ea inventa sunt, nihil propemodum »esse, respectu eorum, quae scienda adhuc restant; »hominesque ab infinitis tam corporis quam animi »morbis immunes futuros, immo etiam fortassis a »senectutis debilitatione, si satis magnam causarum, »a quibus mala ista oriuntur, et omnium remedio-»rum, quibus natura nos instruxit, notitiam habe-rent.« Immerito sane Cartesius, corporis tantum sanitatis ratione habita, questus esset, quod medicina nondum suam ipsius conditionem ac munus explevisset, quum omnibus fere temporibus, ut adversa aegrotorum valetudo a medicis restitueretur,

1) Cartesius l. c. pag. 53.

contigerit. At ille medicinae „rationem“ quandam et methodum inesse voluit, qua homines sapientiores et ingeniosiores reddantur: id, quod corporis vires roborando neutiquam assequaris. Jam vero Cartesius ipse sententiam satis luculenter manifestavit, quum corpus et animum, et in quo illa tanquam coalescunt, temperamentum, ita inter se cohaerere diceret, ut in eorum connexu omnis humani generis salus posita sit. — Sapientia autem et ingenium nil aliud nisi experientiam et rationem significare mihi videntur, quibus bene beateque vivendi facultates, tam acquisitae, quam innatae continentur. Sed quo melius haec cognoscantur, visum est, optimum hujus rei interpretem, Ciceronem, consulere, qui in lib. V. de finib. ita ait: „Animi autem »et ejus animi partis, quae princeps est, quaeque »mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo »prima genera: unum earum, quae ingenerantur »suapte natura, appellanturque non voluntariae; »alterum earum, quae in voluntate positae magis »proprio nomine appellari solent: quorum est excel»lens in animorum laude praestantia. Prioris gene»ris est docilitas, memoria, quae fere omnia appel»lantur uno ingenii nomine; easque virtutes qui »habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem ge»nus est magnarum verarumque virtutum, quas ap»pellamus voluntarias, ut prudentiam, temperan»tiam, fortitudinem, justitiam et reliquas ejusdem

»generis.“ Quas igitur „voluntarias virtutes« esse dixit, eas multis aliis in locis aut „matrem omnium bonarum rerum“ (de legib. I.) aut „artem vivendi,‘ (Quaest. acad.) aut „vitae beatae effectricem“ (de finib. II.) aut breviter „sapientiam“ vocat. In libro IV de finib. hoc vocabulum sic in»terpretatus est: „is finis bonorum, ut ab ipsis Stoi»cis scriptum videmus, a Xenocrate atque ab »Aristotele constitutus est. Itaque ab his constitutio »illa prima, natura, his prope verbis exponitur: Omnis »natura vult esse conservatrix sui, ut et salva sit, et in ge»nere conservetur suo. Ad hanc rem ajunt artes quo»que exquisitas, quae naturam adjuvarent: in qui»bus ea numeretur inprimis, quae est vivendi ars, »ut tueatur, quod a natura datum sit, quod desit, »acquirat. Iidemque diviserunt naturam hominis in »animum et corpus; sed cum sapientiam totius »hominis custodem et procuratricem esse vellent, quae »esset naturae comes et adjutrix, hoc sapientiae mu»nus esse dicebant, ut cum tueretur qui constaret »ex animo et corpore, in utroque juvaret eum atque »contineret.“

Ex his omnibus optime intelligitur, ingenium nihil nisi ingeneratas homini facultates, memoriam, docilitatem, mentem, judicium, acumen significare; sapientiam eas potissimum cognitiones continere, quas facultatum illarum usus, studium, diligentia, educatio, experientia ad hominum rerumque natu-

ram et historiam, et ad intimam inter mundum, genus humanum et Deum communionem intelligendam, nobis suppeditant. Sapientiae igitur est, quidquid a natura nobis datum sit, accurate diligenterque excolere, et omnes, quas diximus, ingenii facultates in usum convertere atque, quoad ejus fieri possit, perfectiores reddere. Ingenium sine sapientia adesse potest; sed ubi sapientia, ingenium adesse omnino necesse est; cum ad sapientiam adipiscendam ingenii facultates plane necessariae sint. Itaque Cartesius verbis illis nihil aliud exprimi vult ac significari, nisi in sola medicina rationem ac methodum inveniri, qua homines a natura jam primis initiis et seminibus meliore quadam indole praediti evadant, iisque virtutibus ornati, quibus vitae salutem sibi parare queant. Quum vero ingenium haud aliud nisi rationem a natura nobis insitam ac ingeneratam, sapientiam autem nonnisi experientiam, ratione comparatam, esse jam supra a nobis probatum sit, Cartesianum illud ita interpretandum est, ut medicinam eam esse dicamus, qua homines inde a principio ad rationis praecepta persequenda aptiores reddantur, aut, quod simul probavimus, ad vitam naturae consentaneam perducantur. Recte igitur Celsus [1]): »Non post rationem medicina »est inventa, sed post inventam medicinam ratio

1) Celsus de medicina. Praefat.

»est quaesita.« Quum igitur nunquam aliud sapientia, aliud natura dicat, et medicina idem quod utraque illa spectet, omnes has unum eundemque sibi propositum habere finem, et ad hunc assequendum inter se plane consentientes esse, omnino liquet. »Ii enim soli sapientes sunt, qui tanquam Deum »sequuntur naturam, eique parent; et naturae re»pugnare nihil est aliud, nisi gigantum modo pu»gnare cum Diis.«[1]) Huc accedit, quod ratio potissimum ipsa, qua illas ingeneratas virtutes ad investigandam rerum naturam, (sapientiam nempe,) adhibemus, philosophiam amplectitur, quae pari modo cum medicina, ut ex Ciceronis [2]) atque Hippocratis [3]) sententiis supra memoratis apparet, conjuncta est. Unde cognoscitur, Cartesium illis verbis medicinae prae omnibus disciplinis munus tribuendum voluisse vias et rationes ostendendi, quibus instituta naturae sequi ejusque voluntati, ad corporis et animi harmoniam intendenti, satisfacere sponte atque libenter possimus. »Omnis natura id »habet propositum finem et extremum, ut se custo»diat quam in optimo sui generis statu, ex quo in»telligi debet, hominis id esse in bonis ultimum, »secundum naturam vivere.« Quid vero aliud hac

---

1) Cicero de senect. in fin.
2) cf. pag. 64.
3) cf. pag. 47. 1).

ipsa harmonia efficietur, nisi ingeniorum, morum rerumque publicarum incrementum atque emendatio, educatio denique universi generis humani atque beatitudo. Nobis autem reliquum est, ut explicemus, quibus potissimum rationibus haec perpetrari possint, et quantum medicina ipsa ad hominum sapientiam et ingenia amplificanda polleat.

Quae hucusque cum L. B. communicavimus, sufficere videntur, quo de totius scriptiunculae ratione atque natura candidi existimatores judicium suum ferant. Cujus consilium atque materies, quum ad universam rerum humanarum conditionem pertineat, atque intra angustos hujus dissertationis terminos contineri nequeat, hic subsistendum putavi; quae subsequuntur, si priora illa optimorum quorumque sententiis probentur, atque si Deus O. M. conatibus nostris faveat, vernaculo posthac sermone in lucem editurus.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Statuendi sunt singulorum nervorum morbi.

II.

Frigoris atque caloris effectus extremi iidem.

III.

Omnes morbi psychici ex corpore aegro oriuntur.

IV.

Diaetetica et prophylaxis majoris sunt momenti quam therapia.

V.

Omnes morbi letales.

VITAE CURRICULUM.

Natus ego **Michael Benedictus Lessing** Idibus Juliis Gedani, anno hujus saeculi nono, veterique fidei adscriptus, parentibus dilectissimis, patre **B. L. Lessing** et matre **Carolina**, e gente **Mallison**, — Deo gratia! — adhuc vivis gaudeo. Pater, negotiator et vir in liberos amore plenus, hominem jam a cunabulis esse ingenue et liberaliter, sed severa disciplina educandum existimabat, quamobrem et sua ipse et privata institutione hunc ad modum me primis literarum rudimentis ad annum usque decimum edocendum curavit. Deinde missus sum in scholam publicam Sti Petri et Pauli, cel. Dir. **Grolp** vigentem, cui viro, sicuti qui nunc illi scholae praefectus est, cel. Dir. **Nagel**, summas, quas possum, palam ago gratias. Ad studia academica me praeparaturus, anno aetatis decimo quarto in Gymnasium urbanum transii, quod tum temporis auspiciis cel. Dir. **Meineke**, quem mox secutus est cel. Dir. **Schaub**, florèbat. Cujus viri illustrissimi et Proff. clar. **Schoeler** et **Herbst**, praeceptorum mihi summe venerandorum, memoria propter tot tantaque humanitatis et favoris signa in me collata semper animo meo grato et recentissima erit et carissima. Testimonio maturitatis praeditus Regimontium me contuli, ibique die IV. m. Maji anno MDCCCXXIX a Prorectore Magnif. **Reide-**

nitz in numerum civium Academiae Albertinae, et a Decano Spectab. Sachs in medicorum ordinem receptus sum.

Erat autem praelectionum, quibus interfui, haec ratio. Docuerunt me ill. Lobeck interpret. Ciceron. oratt. Verrin., et Pindari carminum; ill. Schubert regni Borussici statisticam, et historiam aevi recentissimi; ill. Meyer botanicen et generalem et specialem; ill. Herbart logicen, et introductionem in philosophiam; ill. Dulk chemiam experimentalem, phytochemiam, zoochemiam, et pharmaciam; ill. Neumann physicen, et mineralogiam; exp. Dr. Richter encyclopaediam et methodologiam medicam; exp. Dr. Burdach osteologiam, syndesmologiam, myologiam, splanchnologiam, et cadaverum humanorum artem rite dissecandorum; ill. de Baer zoologiam, zootomiam, et anatomiam comparatam; ill. C. F. Burdach anatomiam generalem, angiologiam, neurologiam, physiologiam, haematologiam, historiam evolutionis, anatomiam pathologicam, et psychologiam empiricam; ill. Sachs pathologiam, therapiam, et morbos syphiliticos; ill. Unger chirurgiam generalem et specialem, aciurgiam, lithologiam, et ophthalmologiam; ill. Hayn artem obstetriciam universalem c. exercitatt. pract. junctam.

Praeterea per duo semestria clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmiatricum ill. Unger, clinicum medicum ill. Elsner, majocomium ill. Hayn, per semestris spatium policlinicum medicum defuncto ill. G. A. Richter ducibus experientissimis et auscultando et aegrotorum curam in me ipsum recipiendo frequentavi.

Triennio praeterlapso m. Aprili anno MDCCCXXXIII Berolinum me contuli, ubi ab ill. Marheineke t. t. Rect. Magnif. in civium academicorum numerum, et ab ill. beato Rudolphi, t. t. Decano Spect. in ordinem medicorum receptus, exercitationibus clinicis tum medicis, tum chirurgicis et ophthalmiatricis illustrissimorum virorum Hufeland et Osann,

Wolff, Rust et Juengken summo cum studio usus sum.

Omnium horum, quorum praeceptis me fructum esse laetor, praeceptorum erga me beneficia et comitatem nunquam obliviscar. Praecipue autem viris optime de me meritis, ill. Proff. Unger, de Baer et Osann, qui permulta in me humanitatis atque benevolentiae signa contulerunt, publice gratias me agere posse maxime gaudeo, eorumque memoriam grato animo ad cineres usque servabo.

Neque hoc loco alienum esse puto, quin commemorem, me anno praeterito, quum atrocissima Cholera orientalis patriam nostram affligeret, a Summo Borussiae Regimine in oppidula Labiau et Osterode missum, ibique per aliquot menses et ad res universali inservientes sanitati administrandas et ad curam aegrotantium in me suscipiendam instructum esse.

Nec etiam silentio praetermittendi sunt viri doctissimi, amici carissimi, Drr. Lipschitz et Dinter, qui mihi in persequendo artis medicae studio multum adjumenti attulerunt.

Atque tandem hujus loci esse duco, viro illustrissimo, Drr. Georgio Hirsch, Regimontano, publicas ex intimo pectore persolvere gratias, quippe qui tam in domo sua, una cum matre ejus venerabili, semper mihi pie colenda, summo amore, benignitate et familiaritate me cumulaverit, quam in studiis meis exercendis et doctrinae profunda copia et ingenii acuti lumine adjuverit me atque accenderit.

Jam vero tentaminibus et examine rigoroso rite absolutis, et hac dissertatione defensa, spero, fore ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.